AUTHOR:

FRITZSCHE, FRANZ VOLKMAR

TITLE:

PROOEMIUM

PLACE:

[S.L.]

DATE:

1857

Master Negative #

93-81342-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG93-B2596          Acquisitions     NYCG-TLK
FIN ID NYCG93-B2596 - Record 1 of 1 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG93-B2596              RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:u     AD:03-23-93
  CC:9667  BLT:am      DCF:    CSC:d    MOD:    SNR:      ATC:         UD:03-23-93
  CP:xx      L:lat     INT:    GPC:     BIO:    FIC:0     CON:
  PC:s      PD:1857/           REP:a    CPI:0   FSI:0     ILC:         II:0
  MMD:d     OR:?   POL:b    DM:d    RR:d???    COL:b     EML:a     GEN:c  BSE:a
  040      NNC‡cNNC
  100 1'   Fritzsche, Franz Volkmar,‡d1806-1887.
  245 10   Prooemium‡h[microform].‡c[Scripsit] F.V. Fritzschius.
  260      [n.p.]‡bLiteris Adlerianis,‡c1857.
  300      [3]-7 p.
  500      Pages extracted from "Index Lectionum in Academia Rostochiensi Semestr
         i Aestivo A. MDCCCLVII."
  LDG      RLIN
  QD       03-23-93
```

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 13x


IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 4-29-93 INITIALS SS

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202


Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLVII

A DIE XV M. APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PROOEMIUM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

LITERIS ADLERIANIS.

Reliquias chori Euripidei, quae glyconeo metro constant, quo saepius editae sunt, eo magis depravatas esse ex eo patet, quod a Musgravio melius dispositae sunt quam a novissimo editore, Nauckio. Incipiam ab ejusmodi loco, in quo ne Musgravius quidem (V. II p. 493 ed. Beck.) operae pretium fecerit, nedum caeteri, Matthiae p. 411, Dindorfius p. 126, Wagner p. 486 sq., Nauckius p. 521. Servatus est a Macrobio in Saturn. I, 17 „solis meatus — iter suum velut flexum draconis involvit, unde Euripides: *πυριγενὴς δὲ δράκων ὅλον ἡγεῖται ταῖς τετραμόρφοις ὥραις ζευγνὺς ἁρμονίᾳ πολύκαρπον ὄχημα.*“ *Ὅλον*] sic pars codicum ut vulgo; optimi libri *OKON*. Musgravi conjectura plerisque probata *ὁδὸν* metro repugnat. *ταῖς*] in edd. antiquis pro eo est *τοῖς*. *ζευγνὺς - ὄχημα*] optimi libri: *ZEΥΓHIΣ ΑΡΜΟΝΙΑΙ ΠΟΥΚΑΡΠΟΝ ΟΧΗΜΑ*. Deteriores libri inter *ἁρμονίᾳ* et *πολύκαρπον* inserunt *ΠΛΟΥΤΟΥ* absurde. Erratum est et de restitutione vocis *ΟΛΟΝ* sive *OKON* et de metri ratione. Neque enim hi versus aut dactylici sunt aut anapaestici, sed glyconeorum polyschematistorum integrum systema. Corrige ac dispone in hunc modum,

πυριγενὴς δὲ δράκοντος ὁλκὸς — ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑
ἡγεῖται τετραμόρφοις — –́ – – ⏑ ⏑ – –
ὥραις, ζευγνὺς ἁρμονίᾳ — –́ – – – – ⏑ ⏑ –
πολύκαρπον ὄχημα. — ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑.

V. 1 pro v. *δράκων ὅλον* vel *δράκων OKON* restitui *δράκοντος ὁλκός*. Nam v. *ὁ ὁλκὸς* haud raro serpentis volumen, tractum et ipsum corpus significat, ut in Lucian. Hermotimo c. 79 eundemque usum in ejusdem Alexandro c. 15 certa emendatione *καὶ τὸν ὁλκὸν* redintegravi, quum libri Lucianei *καὶ ὅλον* inepte exhibeant. Et ipse Macrobius, qui „velut flexum draconis“ scripserit, in Euripide videri potest *δράκοντος ὁλκὸς* legisse. Certe sol si poetice *δράκων* dicitur, non minus recte *δράκοντος ὁλκός* dici potest, quum praesertim v. *ὁλκὸς* etiam de luce et rapido motu ignei meteori usurpatum sit ab Apollonio Argon. III, 141, ibid. v. 1378 (ubi vide scholiasten) et IV, 296. Adeo ab Euripide sol tempestatibus anni quaternis tanquam dux praeire dicitur, ita ut currum suum frugiferum convenienti rerum ordini junxerit. Eadem clausula Euripides ita quoque utitur, non ut glyconeos, sed aut doricos numeros (velut in Hecuba 909 = 918) aut anapaestos dimetros (ut in Jone v. 508) praemittat. Quumque in Jone 471 = 491 primus hujus clausulae pes spondeus sit hoc modo – –́ ⏑ ⏑ – ⏓, vix dubito, quin in Cyclope v. 83 ita potius corrigere debuerim,

σὺν τᾷδε τράγου χλαίνᾳ μελέᾳ
χωρὶς φιλίας σᾶς.

Ceterum eadem glyconeorum catalexis ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏓ et in Jone v. 460 = 480 exstat et in Bellerophontis eo fragmento restituenda est, quod legitur apud Stobaeum Flor. CV, 12 (III p. 355 Gaisf.) *Εὐριπίδου Βελλεροφόντου·*

Ποῦ δὴ τὸ σαφὲς θνατοῖσι βιοτᾶς;
θοαῖσι μὲν ναυσὶ πόρον πνοαὶ κατὰ
βένθους ἅλιαι (ita codices; vulgo *βένθος ἅλιον*) *ἰθύνουσι· τύχας δὲ θνητῶν*
τὸ μὲν μέγ' εἰς οὐδὲν ὁ πολὺς χρόνος
μεθίστησι, τὸ δὲ μεῖον αὔξων.

Corrigendum erat,

Ποῦ δὴ τὸ σαφὲς θνατοῖς βιοτᾶς; – –́ ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ –
θοαῖσι μὲν ναυσὶ πόρον ⏑ –́ ⏑ – – ⏑ ⏑ –
πνοαὶ κατὰ βένθους ἅλιαι ⏑ –́ ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ –
ἰθύνουσι· τύχας δὲ θνητῶν –́ – – ⏑ ⏑ – ⏑ – –
τὸ μὲν μέγ' ἐς οὐδὲν ⏑ –́ ⏑ ⏑ – –
πολὺς μεθίστησι χρόνος, ⏑ –́ ⏑ – – ⏑ ⏑ –
τὸ δὲ μεῖον ἀέξων. ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – –.

V. 1. Pro *θνατοῖσι* metri causa *θνατοῖς* posui. V. 3. Scriptura *βένθος* metro adversatur. In extremo versu observa hiatum. V. 5. *ἐς*] libri contra metrum *εἰς*. V. 6. Post *οὐδὲν* libri omnes pergunt, *ὁ πολὺς χρόνος μεθίστησι.* Metrum restitui deleto articulo et voce *χρόνος* non ante sed post v. *μεθίστησι* posita. V. 7. Libri *αὔξων* clausula non ferenda. Euripides scripserat *ἀέξων.* Neque Stobaei editores neque fragmentorum Euripidis (Matthiae p. 115, Dindorfius p. 88, Wagner p. 149 sq., Nauckius p. 358) quidquam profecerunt praeter unum Musgravium (V. II p. 433 ed. Barnesio-Beckianae), qui et primum versum vidit esse anapaesticum neque reliquos tam perverse quam caeteri editores disposuit. Nempe his quoque versibus plenum et integrum systema continetur. — Euripides apud Strabonem VIII p. 379 de Acrocorintho: *Τοῦ δ' οὖν Εὐριπίδου φήσαντος οὕτως· ,,ἥκω περίκλυστον προλιποῦσ' Ἀκροκόρινθον ἱερὸν ὄχθον πόλιν Ἀφροδίτας" τὸ ,,περίκλυστον" ἤτοι κατὰ βάθους δεκτέον κ. τ. ἑ.* Eundem locum spectavit is, unde verba a Strabone omissa *ὕδατι χλωρῷ* lucrari videmur, Plutarchus Moral. p. 767 F, qui haec Euripidea *ὕδατι χλωρῷ κατακλυζόμενον προλιποῦσ' Ἀκροκόρινθον* suo sermoni interposuit. Valckenarius in Diatrib. p. 165, b vocem *πόλιν,* quam ipsum metrum flagitat, frustra delevit. Sed nihil est neque in ipsius Valckenari neque in Musgravi V. II p. 487 conjecturis, quod non metro gravissime repugnet. Equidem dubitanter conjeceram,

Ἥκω περίκλυστον – –́ ⏑ ⏑ – ⏑
ὕδει χλωρῷ προλιποῦσ' ⏑ –́ – – ⏑ ⏑ –
Ἀκροκόρινθον, ἱρὸν –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑
ὄχθον, πόλιν Ἀφροδίτας. – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – –.

Certe verba *ὕδατι χλωρῷ* conjuncta a glyconeo metro abhorrent. Meinekius apud Nauckium p. 545 verba *ὕδατι χλωρῷ* a Plutarcho aliunde sumta esse minus bene conjecit. Denique illum Plutarchi locum de Laide disserentis adscribam: *ἐπεὶ δὲ ἔρως ἔθιγεν αὐτῆς Ἱππολόχου, τοῦ Θεσσαλοῦ, ,,ὕδατι — Ἀκροκόρινθον" καὶ ἀποδρᾶσα τῶν ἄλλων ἐραστῶν κρύφα, μέγαν στρατὸν ᾤχετο κοσμίως.* Ultima ipsius Plutarchi verba et mutila sunt et corrupta. In literis *α μέγαν στρατ* latere videtur *ἀμεταστρεπτί,* in proximis *τὸν* pronomen *αὐτόν.* Nam ita fere lego itaque suppleo: *καὶ ἀποδρᾶσα τῶν ἄλλων ἐραστῶν κρύφα, ἀμεταστρεπτὶ*

[φεύγουσα ὡς αὐ] τὸν ᾤχετο κοσμίως. Eisdem ferme verbis Lucianus utitur in Nigrino c. 28: *ἀμεταστρεπτὶ φεύγων ὡς αὐτὸν ἀφίκετο.* — Euripides apud Plutarchum Moral. p. 36 C et sine nomine scriptoris ap. Stobaeum T. V p. 63 (V. I p. 144 G.):

Ἐγὼ δ' οὐδὲν πρεσβύτερον ⏑ –́ – – – ⏑ ⏑ –
νομίζω τᾶς σωφροσύνας, ⏑ –́ – – – ⏑ ⏑ –
ἐπεὶ τοῖς ἀγαθοῖς ἀεὶ ξύνεστιν. ⏑ –́ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑̄.

V. 2 *τᾶς σωφροσύνας*] ita Plutarchus. Male Stobaeus *τῆς σωφροσύνης.* V. 3 *ξύνεστι*] Stobaeus, non item qui *σύνεστι* Plutarchus. Apud Stobaeum, in quo et hujus loci et inferiorum lemmata exciderunt, haec Menandro inepte tribuerunt Trincavellus et Gesner superiore alius loci lemmate decepti. Totum fragmentum duce Musgravio V. II p. 481 caeteri quoque (Matthiae p. 367, Dindorfius p. 120, Wagner p. 435) recte disposuerunt praeter unum Nauckium, qui p. 523 ad Anacreonteos versus aberravit. Sed Plutarchus l. l. (p. 36 C) post illa Euripidis verba, *ἐπεὶ τοῖς ἀγαθοῖς ἀεὶ σύνεστι* continuo ita pergit:

καὶ τὸ (sc. *λεγόμενον ὑπὸ τοῦ Εὐριπίδου·*)
,,Τιμᾶν τὰν τέτασθε, πλούτῳ δ' ἀρετὰν κατεργάσασθαι δοκεῖτ' ἐν ἐσθλοῖς δὲ καθήσεσθ' ἄνολβοι."

Nihil profecerunt neque Plutarchi editores (T. VI P. I p. 292 ed. Wyttenb.) neque Euripidis (Musgravius p. 488, Matthiae p. 389, Dindorfius p. 123, Wagner p. 460). Fortasse tamen inveteratum mendum *τὰν τέτασθε* mox alii tollent, si eos metrum adhuc ignotum docuero: sunt enim hi quoque glyconei polyschematisti. Metri tantum declarandi causa interim posui *τιμᾶν τ' ἀμφιμάχεσθε.* Caeterorum facilior emendatio est. Nam et verba *κατεργάσασθαι δοκεῖτ'* metri causa transponenda et pro *καθήσεσθ'* aut scribendum *κάθησθ',* uti Nauckius quoque p. 524 conjecit, aut *καλεῖσθ'* collato versu Hecubae 625 *ὁ δ' ἐν πολίταις τίμιος κεκλημένος.* Et *καλεῖσθ'* jam H. Grotius conjecisse videtur. Quare ita scripserim,

Τιμᾶν τ' ἀμφιμάχεσθε –́ – – ⏑ ⏑ – ⏑
πλούτῳ δ' ἀρετὰν – –́ ⏑ ⏑ –
δοκεῖτε κατεργάσασθαι· ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – –
ἐν ἐσθλοῖς δὲ καλεῖσθ' ἄνολβοι. ⏑ –́ – ⏑ ⏑ – ⏑ – –.

Est autem hujus fragmenti sententia superiori *Ἐγὼ δ' οὐδὲν — ἀεὶ ξύνεστι* tam similis, ut ambo loci ex uno eodemque Euripidis choro sumti esse possint. Quid quod voculae *καὶ τὸ* (ante v. *τιμᾶν*) fortasse delendae sunt, ut e fragmentis Euripidis duobus unum fiat. Unicum enim fuisse e nexu, sententia, metro ipso, quae omnia mire conveniunt, eo magis colligo, quo melior fit et rotundior ipsius sermo Plutarchi voculis istis *καὶ τὸ* funditus deletis.

Caetera hujus generis fragmenta Euripidea alio tempore persequar. Nunc quoniam haec non solis philologis scribenda sunt, quid de nostris literis in universum sentiam, paucis declarabo: quae ne alios quidem viros juvenesque doctos legisse poenitebit. Quam orationem paullo altius video repetendam esse.

Inculti homines ac semibarbari quum primum per studia ad vitam sustentandam necessaria ipsarum literarum amore capti sunt, multis literis adhuc neglectis ad latinae maxime linguae cognitionem tum etiam graecae tanto impetu ferri solent, ut nisi hoc utroque sermone docti stuporem pristinum deponi atque exui posse desperent. Ceterum ubi cultiora

jam ingenia plures literas amore complexa sunt, ex hoc communi eruditorum campo doctrinarum fiunt divortia, ut jam alii in aliis, in singulis singuli studiis versentur, cuncti autem divina humanaque omnia pervestigare studeant. Quo facto quum classicarum studia linguarum imminui necesse sit, ut tot aliis disciplinis locus dari possit: philologi ex ingenti quodam campo in exiguum sane gyrum videbuntur compulsi esse. At diligentius cogitanti apparebit magnas quasdam partes philologis etiamnunc relictas esse: quorum praeclara studia ne in Germania obsolescant, humaniores literas in artis formam dudum redactas tandem aliquando magis ad vitae usum et ad popularium necessitates referri debere censeo. Quae res non pro infecta habebitur sed efficietur certissime, si omnes philologi non ad lucellum et quaesticulum attenti neque literarum gloriola occaecati, sed ad publicum bonum unice conversi, quantum animo conniti potuerint, quo plus suae quisque civitati atque Ipsi Principi prodesse liceat, tantum labore contenderint. Etenim nostrae literae, quarum est mentem humanam excolere et a veteri barbaria vindicare, primum scholis atque gymnasiis, quibus fundamento sunt, inservire debent, non imperare, tum caeteris quoque literis, cum quibus omnibus arcte cohaerent, non detrimento esse, sed auxilio. Itaque ante omnia providendum est, ne summa rerum neglecta ad nugas, quibus tirones a studiis deterreantur, tanquam ad spinas adhaerescamus. Neque enim in ἂν particulae salute generis humani salus vertitur, neque si γὲ vocula minus percepta fuerit, totus terrae orbis conflagrabit. Deinde multi, in his summo acumine viri summaque doctrina in ipsis literis nostris ita elaborare pergunt, ut scriptores graecos edant, de grammatica et metrica arte, de vetere historia omnibusque antiquitatis partibus libros componant. Non diffiteor e tam praeclaris studiis uberrimos fructus percipi posse: hoc dico, ex ejusmodi libris, quorum plerique nunc graecarum literarum finibus continentur, nonnulli vel in obscuris scriptoribus vel etiam in novitiis occupati sunt, ad philologos Germaniae solos plurimum utilitatis redundare; a caeteris enim graeca vix leguntur. Ex quo sequitur, tales libros multo minus nostris popularibus, quam exteris philologis prodesse, quorum longe major multitudo est, propterea quod humaniora studia per omnes gentes paullo cultiores diffusa sunt. Exteris autem horum librorum editione maxime prospectum esse id quoque argumento est, quod plerique hujus generis libri non germanico sermone, sed latino, qui omnium eruditorum communis est, scribi solent. Namque „hic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit.“ Quare hi editores multo magis viderentur laudandi esse, si eos Graeciae scriptores, qui in scholis et Academiis nostris pertractantur, majore cura dignos haberent, si inprimis hoc agerent, ut eorum qui in ipsa Germania florent philologorum studia adjuvarentur, postremo si etiam juvenum philologorum causa omniumque tironum, quorum maximus numerus est, plures atque meliores libros evulgarent. Sed prae hac politissima Graecorum doctrina iidem critici latinas literas plerumque negligunt atque contemnunt. Quotus quisque enim nunc est latini scriptoris editor, cujus opera cum C. Lachmanni Lucretio inprimisque cum Plauto F. Ritschelii, aureo opere ulla ex parte comparari possit? Atqui latina lingua in omnibus fere scholis praeterquam in rusticis tractari solet, graeca in gymnasiis tantummodo; latinae cognitio ipsis gymnasiis utilior et magis necessaria videtur quam graecae; latinae linguae scientiam atque usum omne genus eruditorum per totam vitam retinet, graecae non item. Quamobrem ut olim nimia latinae linguae tractatione peccatum est, ita nunc graecae studio immodico peccari videmus. Hoc enim modo ad latinorum scrip-

torum subtiliora studia, ex quibus omnes ferme scholae mirum quantum proficerent, via praeclusa est. Sed quum omnis philologorum vis in scribendi et docendi officio sita sit: doctoris imperio, scriptoris autem servitio magis utendum esse arbitror. Neque enim vulgarem ludi magistrum nescio quem dico, sed egregium doctorem, quem mente videmus, atque omnibus prope numeris absolutum. Tali igitur tamque eximio viro quomodo in Academiis quove modo in gymnasiis literae nostrae profitendae sint, ut prosit quam plurimis, noceat nemini, utilissimum est disquirere; praesertim si quis incommoda, quibus hodierna multorum gymnasiorum institutio laborare videtur, in lucem protulerit. Verum hanc disputationem, quam hujus loci angustiae nullo modo capiunt, in aliud tempus video rejiciendam esse. Sed commilitones nostros primum hortamur, ut suas quisque literas potissimum tractare pergant, utique probe cognitas ad vitae usum accommodare quam primum discant: ne quis sola arte sine ullo usu perspecta similis medico evadat, qui morbos vel optime cognoverit, cognitos idem sanare nesciat. Quoniam autem qui latinam graecamque linguam temere contemserit, ne in suis quidem literis aeque florebit: etiam illud videndum erit, ne quis haec studia, quae adolescentiam inprimis alere debeant, vixdum inchoata subito relinquat atque destituat.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) encyclopaediam et methodologiam theologicam quinis diebus tradet h. VIII; 2) dogmatum historiam senis diebus enarrabit h. IX. Pnblice catecheticen binis diebus praecipiet h. XII. In Seminarii sodalitio catecheticas sodalium exercitationes horis constitutis moderari perget.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim senis dd. h. IX alteram historiae ecclesiasticae partem enarrabit; 2) privatim quaternis dd. h. X artem liturgicam tradet; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes dd. Veneris et Saturni h. X moderabitur.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., privatim 1) epistolas catholicas interpretabitur quinquies h. XII; 2) Symbolicen et Polemicen sive descriptionem et defensionem doctrinae ecclesiasticae tradet quinquies h. XI et d. Saturni h. XII; 3) publice exercitationes exegeticas moderabitur horis binis.

D. Michaelis Baumgarten, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim librum Jobi enarrabit quinquies h. VII—VIII; 2) privatim historiam sacram novi foederis docebit quinquies h. VIII—IX; 3) publice elementa linguae sanscritae tradet horis binis; 4) exercitationes exegeticas moderari perget horis binis.

In ordine juridico.

D. Fridericus Raspe, P. P. O., tradet principia processus judiciarii civilis, duce Linde, quater h. X et sexies h. XI.

D. Otto Mejer, P. P. O., quinquies per hebdomadem h. XI. processum criminalem, h. XII jus ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum docebit.

D. Georgius Guilelmus Wetzell, P. P. O., senis scholis h. XII institutiones juris romani et h. XI processum civilem profitebitur.

D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., tradet 1) Pandectas, Puchta duce, sexies per hebdom. h. VII et VIII; 2) jus hereditarium quinis scholis h. XII.

D. Paulus Roth, P. P. O., h. t. Decanus, 1) quinquies per hebdomadem h. VII Jus mercatorium, cambiale et maritimum; 2) h. VIII Jus privatum Germanicum docebit.

D. Theophilus Henr. Fr. Gaedeke, 1) encyclopaediam juris h. c. profitebitur; 2) processum judiciarium civilem quum communem tum Megapolitanum h. c. duce Martino docebit; 3) scholam civilem eamque practicam moderabitur; 4) privatissime repetitoria et examinatoria commilitonibus offert.

In ordine medico.

D. Henricus Spitta, P. P. O., docebit horis commodis: 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem in usum medicorum et jurisconsultorum.

D. Carolus Strempel, P. P. O., docebit: 1) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum cum demonstrationibus et exercitationibus in cadaveribus conjunctam quater p. h. hor. IV et 2) Clinicum chirurgicum quotidie hor. X et dimidia moderabitur.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., docebit 1) encyclopaediam et methodologiam scient. medicae horis binis; 2) physiologiam horis quaternis; 3) exercitationes zootomicas diriget horis quaternis.

D. Carolus Bergmann, P. P. O., 1) anatomes c. h. partem alteram tradet; 2) exercitationes anatomicas assistente L. Gronau diriget; 3) studiosis juris introductionem in medicinam forensem ternis p. h. lectionibus absolvendam offert.

D. Gustavus Veit, P. P. O., h. t. Decanus, 1) artem obstetriciam quinquies p. h. horis adhuc definiendis docebit; 2) exercitationes practicas in Clinico obstetricio quotidie h. VIII moderabitur.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiae et therapiae specialis partem priorem quaternis diebus h. III tradet; 2) anatomen pathologicam demonstrationibus illustrandam binis horis docebit; 3) exercitationes medico-clinicas in nosocomio senis diebus hora IX moderabitur.

D. Jo. Frid. Guil. Lesenberg has lectiones offert: 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.

D. Joannes Schroeder tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

D. Theodorus Ackermann 1) pathologiam generalem ternis diebus h. IV—V tradet; 2) de signis ex urina bis p. h. h. IV—V disseret.

In ordine philosophico.

D. **Franciscus Volcmarus Fritzsche**, P. P. O., publice binis diebus h. VIII Terenti Adelphos explicabit; privatim 1) item binis diebus h. VIII Pindari Pythia interpretabitur; 2) binis diebus h. VIII Aristophanis Ranas exponet; 3) binis diebus h. XII Aeschyli Agamemnonem illustrabit. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Sophoclis Antigone et Lucreti De Rerum Natura libri I—IV tractabuntur.

D. **Johannes Roeper**, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice docebit elementa anatomes plantarum die Saturni h. X—XII; 2) privatim botanicen generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam senis diebus h. VII; 3) de herbis in pratis et sylvis nascentibus disseret diebus Mercurii et Jovis h. XI; 4) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.

D. **Eduardus Danielus Henricus Becker**, P. P. O., 1) privatim agros metiendi formasque delineandi doctrinam, adjunctis exercitationibus practicis in agris praedii, cui nomen est Warnoranda, instituendis, sexies p. h. tradet h. III; 2) Culturam plantarum agrestium demonstrationibus illustrandam, quater p. h. docebit h. XI.

D. **Ludovicus Bachmann**, P. P. O., 1) ter per hebdom. Euripidis Jonem interpretabitur; 2) ter per hebdom. Propertii carmina explicabit. Privatissime quater per hebdom. Antiquitatum Graecarum selecta capita pertractabit.

D. **Hermannus Karsten**, P. P. O., docebit 1) publice astronomiam popularem bis p. h.; 2) privatim geometriam analyticam quater p. h.; 3) physicen experimentalem una cum collega amicissimo Schulze octies p. h. horis commodis. Privatissima proponit collegia de qualibet matheseos vel physices parte.

D. **Franciscus Schulze**, P. P. O., h. t. Rector, 1) Chemiam docebit et experimentis illustrabit, quotidie h. X—XI; 2) exercitationes chemicas moderabitur, diebus Martis et Veneris, h. II—VI; 3) una cum collega amicissimo Karsten Physicam docebit et experimentis illustrabit, horis definiendis.

D. **Erwinus Nasse**, P. P. O., 1) Politiam quinis diebus hora nona; 2) Statisticam oeconomicam quinquies hora XII privatim docebit.

D. **Reinboldus Pauli**, P. P. O., 1) publice de fontibus rerum antiquarum Germanorum disseret semel vel bis per hebdomadem; 2) privatim historiam Germaniae narrabit quinquies.

D. **Fridericus Francke**, P. P. E., 1) publice anthropologiam psychicam praecipiet s. de natura animi humani disseret, quaternis p. h. dd.; 2) publice philosophiam historiae generis humani describet, binis p. h. dd. Privatim idem 3) metaphysicam docebit, quinis p. h. dd.; 4) historiam philosophiae recentioris explicabit inde ab aera christiana usque ad nostra tempora s. a Paulo apostolo ad Kantium et qui sequuntur, itidem quinis p. h. dd.

D. **Georgius Nicolaus Busch**, P. P. E., privatim 1) quaternis diebus h. III—IV antiquitates Romanas illustrabit; 2) quaternis diebus h. IV—V de syntaxi linguae Graecae disseret; 3) binis diebus h. III—IV Quinctiliani librum decimum interpretabitur. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. **Eduardus Schmidt**, P. P. E., docebit 1) publice introductionem philosophicam in theologiam dogmaticam bis p. h. h. III—IV; 2) privatim philosophiam historiae generis humani, inprimis novissimae, quater p. h. h. IV—V; 3) privatim encyclopaediam disciplinarum philosophicarum, praemissa introductione universali in philosophiam, quinquies p. h. h. V—VI.

D. **Carolus Weinholtz** privatim: 1) introductionem in philosophiam tradet; 2) philosophiam practicam, ex systemate suo, docebit; 3) de philosophorum principiis, tam veterum quam recentiorum, historice et critice disseret.

D. **Julius Robert** 1) privatim quater p. h. de lingua Gallica scholas practicas habebit; 2) privatim mutationes quas lingua gallica inde a saeculo duodecimo subiit exponet; 3) publice historiam literarum Gallicarum inde ab anno hujus saeculi tricesimo usque ad novissima tempora tradet; 4) publice bis p. h. exercitationes in eorum usum moderabitur, qui linguam Gallicam aliquando docturi sunt.

D. **Ferdinandus de Roda** in Seminarii sodalitio publice cantum liturgicum docebit. Praeterea exercitationes chori symphoniaci a commilitonibus instituti moderari perget.

Bibliotheca extra ferias patebit quaternis diebus h. XII—I, festo et solis die exceptis, tum etiam quolibet Mercurii et Saturni die h. XI—I; **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Conferendae sunt novissimae leges, quae de bibliothecae academicae usu scriptae sunt. Anglicam aliasque linguas peregrinas discendi occasio data est. Neque desunt magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales doceant.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur
Franciscus Schulze, Ph. D.

Praesidet ordini Theologorum **Michaelis Baumgarten**, Th. D.
Juris consultorum **Paulus Roth**, J. U. D.
Medicorum **Gustavus Veit**, M. D.
Philosophorum **Johannes Roeper**, Ph. et Med. D.